


Applic[illegible]

MACARIVS
MVTIVS
EQVES CAMERS,
DE
TRIVMPHO
CHRISTI.








ROMÆ, Ex Typographia Reu. C. Apost.
MDCXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

NOBILI
STVDIOSÆQ; LITERARVM
IVVENTVTI CAMERTIVM.



CAESARIVS GEORIVS S. P. D.


ECCAT in rem communem qui thesaurum in publico loco repertum interuertit ad se. Sed qui refossum in suo communem facit, tantum de Repub. meretur, quantum is, qui acceptas à maioribus opes exponit in medium; quod mihi nunc sane consilium prorsus est; cum vobis, Æquales, ac Giues mei, munusculum offero ipsa quidem specie perexiguũ, & vix aspe-

ctabile] sed re, pretioq; visendum, ac maximum. Dum enim ego quoque literas, vt vos, & Musas quærerem, commodùm apud Angelum patruũ meum offendi libellum hunc Macarij Mutij ciuis nostri, situ iam squalidiorem, ac pene depositum? Thesaurum equidẽ existimaui. Sed ille, vt est bonarũ artium apprime diligens, ac studiosissimus institutionis meæ, habendum mihi, ac perlegendum illico tradidit; vt hoc exemplo pene domestico me concitarem ad studium virtutis, & gloriæ. Ego vero nolui prorsus facere iuris mei quod ciuibus redonare possem, ac patriæ: adieciq; confestim animum ad recudendum publicis typis opus immortalitate dignum, eumq; præstandum

dum superstitem, ac rediuiuum qui, dum inter mortales degeret, præstare conatus est vrbem nostram fama sui nominis immortalem. Habuit enim æuo suo gloriæ celebritatẽ haud leuem à Principibus viris, ac potissimum ab Leone Decimo, æstimatore literarum idoneo, literatorumq; inprimis omnium amantissimo: cuius præclaro diplomatè qui iam esset Sacri Palatij, Aulæq; Lateranẽsis Eques, ad eius dignitatem honoris augendam, ob eximium doctrinæ meritum, ac recte factorum, Palatinus appellatus, & renunciatus est Comes.

Mearum ergo partium esse putaui, eius ciuis haud negligere memoriam, in cuius hæc extrema vestigia fortu-

nata

nata quædam occasio me compulisset. Quin ad explendos huius officij numeros omnes, accuratè, ac sedulò perquisiui, num eius ingenij præterea monumentum aliquod extaret, quod lateret in aduersarijs, nec vnquam aspexisset lucem, ac prodisset in publicum, cum præsertim eum viderem in his ipsis, quæ superant è naufragio scriptis, multa commemorare, à se non affecta solum, aut cogitata, sed expolita etiam, ac perfecta. Omnis tamen mihi cecidit irritus labor; nec aliud in perscrutatione quantumuis anxia potui demũ eruere, quàm pauculos versus, & egregiam ad Politianum epistolam, cum quo homini literis omnibus politissimo summa familiaritas intercessit.

 Hanc

Hanc ego, quoniam ſcriptura men-
doſior ab amanuenſibus eſt, & inho-
neſtis vulneribus vbique deformata,
cogor inuitus, etiam inuenta iam lu-
ce, permittere tenebris ſuis. Carmina
vero etſi modica, nec multa numero;
tamen æſtimatione, ac pretio magna,
& plurima, cæteris, quæ vulgata iam
erant, adieci; cunctaq; vobiſcum com-
municata volui, quibuſcum ætas, ci-
uitas, ipſa ſtudia mihi communia ſunt.
Videbitis in monumentis optimi ciuis
eius non eruditionem modo ſingula-
rem, ſed inſignem quoque religionẽ,
ac pietatem. Damnat enim, planeq;
proſcribit poëtas improbos, doletq;
res ſacras haberi vulgo minus idoneũ
carminis argumentum, nec poëſim
ipſam

ipsam retinere natiuum succum, & colorem suum. Inuidit illi prior ætas felicitatem, quæ posteriori, hoc est nostræ, reseruata iam erat. Nam quod ipse fieri aliquando posse fortasse diffidebat, factum nos vidimus ab VRBANO sapientissimo Principe, ac Pontifice, Maximo; cui sicut summa rerum potestas, ita potestati par ingenium ac facultas est. Sustollens enim ille præclarum signum, exemploq; diuini carminis antecedens, succentoribus ac pone sequentibus qua voce respondendum, quaue sit incedendum via demonstrauit. Valete.

MA-

MACARIVS MVTIVS EQVES CAMERS.

LECTORI FELICITATEM.

HÆRET in primo limine li-bellus meus, paruus, blæsus, verecundus; nec dum consistit infans: vix pendens à manu graditur: lucem refugit: & ad solem cæcutit, tenebrarum alumnus. Nudus est, rudis, solutus: nullis placet vmbilicis: non est pumicata frons: formidat lituras: sed spongiam magis: omnia veretur: criticos præsertim, & μαςιγοφόρους. Horret inuidiæ genuinum: iam sagum cogitat, & in globum se colligit: & saltum meditatur: iam thura timet, & piper: iam non libellus erit, sed cucullus: & scombros vestiet tandem inuolucro. Quod si ronchi primum non excipient, & sannæ, & sibila, si blande allicias

vt tactum pati discat: si mentum palpes: si pendulum crinem concinnes, & à fronte reducas, fortasse cupiet depelli, & ab vbere longius reptabit. Si oscula dabis,& plausum, salua res. Iam garrit morio: iam consistit,& graditur: exilit erro: iam fugit: surgunt plumæ: prominent pennæ: iam volitat: iam non cucullus est, sed cuculus: iam omnes nidos pererrat, omnium bibliothecarum inquilinus. Hunc tibi commendo, vt blandiaris, foueas, defendas: in manu tua est: an perpetuò lateat: an perpetuò vagetur. Vale.

MA-

MACARIVS MVTIVS EQVES CAMERS.

LECTORI FELICITATEM.

MIRATVS sum frequenter, nec semel dolui, non nullos, quibus, neque ingenium, neque bonarum artium studium & eruditio, neque dicendi facultas defuit, ludicris narrationibus & commentis, turpibus etiam plerumq; fabulis inanem operam impendere voluisse: quum ad posteritatis cōmoditatem, & nominis sui memoriam haud dubia cum laude multa scribere potuissent, quæ ad bonos mores excitarent, & ad virtutem capessendam, comparandamq; gloriã hortarentur. Quo in genere, vt Arbitrum Apuleium, Lucianum viros non contemnendæ doctrinæ, atque facundiæ planè accusare non ausim, ita asseuerare citra iustam repre-

hensionem posse videor, huiuscemodi scriptores sibi, & posteris commodius consulere potuisse, si tantum veram narrationem aggressi, historiam, aut si minus rerum gestarum materia dabatur, aliquid ad humanæ vitæ institutionem, & politicæ rei vtilitatem scribere maluissent. Neque ignoro, neque inficior, huiusmodi scripta (si qui sunt qui scrutari velint, & interiorem sensum indagare) multa in recessu & altiora & vtiliora, quàm fronte appareant, esse inuenturos. Maneo tamen in sententia, quòd tenuem frugem sparsam & magno & confuso aceruo abstrusam ad iacturam potius, quàm ad lucrum accedere arbitror, si longæ inquisitionis labor consideretur, & temporis ratio, quæ non parui ducenda est habeatur. Verum, ne hos auidius cuiquam, vel pertinacius insectari videar, liberum iudicium omnibus relinquo: qui voluerint diligentius veritatem intueri, Absoluant sanè si libet, & omni laude cumulent:

mulent: iudicium vero meum præceps & temerarium existiment: ego vel sponte à causa cado. dixi quod sentio: mihiq; persuadeo, apud integrum iudicem non facilius illos absolutum iri, quàm plerosque poëtas, quos clarissima ingenia, doctrinam singularem, & scribendi elegantiam meretricijs amoribus & impurissimis scortorum lenocinijs maculare, & diuinæ poëtices dignitatem, sanctitatem & gloriam ad libidinē suam traducere, ac turpiter fœdare non puduit: Dissimulant scilicet Clodiam, Hostiam, Planiā impudicas procul omni dubio feminas; & licentia ingeniorum nominibus alijs: Lesbiam Cinthiam Deliam luculentis versibus illustrant. Equidem nunquam adduci potui, vt cum illis sentirem, qui linguæ intemperantiam cum vitæ probitate coniungunt: siquidem impure loqui, & bene honesteque viuere longe dissentiunt. illud nimirum vitium est: hoc autem omnem complectitur

honeſtatem. Clamitent vt velint, & obſtrepant: Sic ſcripſit Pedo: ſic Marſus: ſic Gętulicus: prurit opuſculum Sulpitij, nec frontem caperat: ſic feſcennini: ſic crotopægniō libri placent. Quid ad cauſam? habent culpæ auctores, qui in eadem naui ſunt, non tamen vindicantur à culpa: friuola eſt horum defenſio, quæ ſecum pugnat: à qua quum diſceſſerint, quid amplius dicant plane non habent. Hoc igitur ſubinde inculcant: laſciua eſt nobis pagina, vita proba. hic eſt his clypeus: hunc obiectant, hoc ſe tuentur: non tamen euadunt: laſciua etenim pagina laſciuæ vitæ, non probitatis eſt argumentum. Quæ probitas quæſo eorum eſſe poteſt, qui veluti ſanctiones & dogmata quædam teneant libidinis? neque exiſtiment, ſine Veneris pruritu & tentigine, quæ per omnem nequitiam lumbos ſcalpat, & flagitioſo aliquo mendacio poëmata placere: eòque impudentiæ progreſſi ſunt,

vt deorum etiam, quibus templa, & aras erexerunt, & cerimonijs diuinoq; cultu passim venerati sunt, non sine offensione diuinitatis, quam illis tribuerunt, furta, cędes, adulteria & stupra impudētissimis carminibus vulgarint. Vtrumque profecto impium fuit: & sceleratos homines inter Deos recipere & apotheosim celebrare, & receptos probrosis cumulare criminibus. Neutrum sane tolerari decuit, ne humana ingenia in vitiū prona Deis auctoribus scelerum impunitatem sibi promitterent. Verum neque humani, neque diuini iuris rationem habentes, illos nō modo sceleratos, sed imbelles quoque & ridiculos fuisse non minus impie, quàm impudenter palam testati sunt. Legimus namque Deorum catenas & vulnera & alia quædam futilium vatum deliramenta sapientum auribus ac lectione penitus indigna. Quo fit, vt tolerabilior fortasse plerisque existimetur Zoilus orator, qui Homerum perinde ac fa-

bularum ſcriptorem caſtigat, vnde Homero maſtigos appellatio nata eſt: & Plato qui poëtas à ciuitate ſua eliminat, ac nominatim in Homerum inuectus eſt. illius enim exemplo & auctoritate leuiora ingenia ad confingendum concitata ineptiſſimis erroribus legentium mentes implicuerunt. Vtinam intra illas ſaltem fabulas conſtitiſſent, quæ ad illecebras ſtudiorum citra omnem turpitudinem nouitate rerum, & iucunditate narrationis gratæ adhuc teneræ puerorum ætati proponuntur: in quibus ſæpenumero honeſta veritas latet, quæ ad virtutis rudimenta cum voluptate alliciat, vel quæ metu futuræ pœnæ, vel alicuius ſpecie monſtri, atque formidine à vitijs deterrerent: quales olim fuere Larua, Incubus, & Gorgon, quorũ nomina terroris argumenta præſeferunt: neque flagitioſa potius, & ſacrlilega, & ipſis prorſus indigna numinibus excogitaſſent. Quis etenim patrem hominum, atque Deorum, quem

ap-

appellant,& dominum rerum,posita grauitate Tonantis, in faciem tauri versum mugire per æquor,& precium tergi stuprum portare puellæ æquo animo ferat?Quis Iouis Optimi Maximi volātis vnguibus raptum Ganymedem ad pocula & infanda cœli facinora sublimem ferri, & Martem cum Venere deprehensa,spectante Deorum cœtu,iacere turpiter non abominetur? Vtinam iterum atque iterum huiusmodi flagitia ab his,aut nunquā excogitata,aut è medio sublata fuissent: haberemus profecto sanctum, & inuiolatum poëtæ nomen, quale desideramus, & quondam habuere qui castis moribus mystica cerimoniarū sacra & diuinos hymnos, aut Heroum,& fortium virorum gesta ad imitādum cum laude cecinerunt: nec lauream illam quam cum Imperatorum triumphis accepere communem,fœda prostitutæ Veneris proluuie per meretricum concubitus, & puerorum stupra maculassent. Verumtamen dum

praua ingenia licentius excurrunt, paucorum lasciuia, vel insania poëtice apud omnes ferè infamis irrisa atque explosa iacet: et hi malorum dæmonum cibum carmina, illi meretriculas Musas immeritò appellant, quando hæc hominũ, qui fuerint abusi, culpa sit, non vitium facultatis. An quia Arellius celebris alioqui Romæ pictor semper alicuius amore feminæ flagrans insigni flagitio artem corrupit, quòd dilectarũ imagine Deas pinxit, omnis pictura fuit improbanda? Aut si Diagoras, qui à re ipsa ἄθεος dicitur, et Theodorus philosophi Deorum naturam sustulerunt, iccirco omnem philosophiam explodemus? minime sanè: sed insignem illius intemperãtiam, horum impium errorem atque ignorantiam acrius taxandam existimo. iniquum enim foret, et nulla parte ferendum, et hanc et illam ad vitæ dignitatem, et commodum repertam vnius, aut alterius culpa, exterminare, quando nulla sit ars aut facul-

tas,in qua nemo aliquando peccarit. Par ratio est poëtarum: apud quos tamen optima quæque deligenda sunt,quæ studiose imitemur: si quid impudicum intercidit, respuendum est: si mala omnino occurrant, statim fugienda: ne consuetudo obscœnæ lectionis illecebris voluptatis, et lasciuæ narrationis titillatio obrepat, et in vitium incautos trahat. Blanda equidem nimis est musarum vis ad vtramque partem,et carminum modulatio, si aures pateant. Facile enim quæ velit ingerit secum,et mentem sermonis suauitate occupat, et animum inuitum quoque quò velit inclinat: vt merito flexanimam dixeris. Sed quoniam lasciuientibus etiam ingenijs non nulla cum laude interim scribuntur quæ minime sunt negligenda, vbi inuenias aurum (vt aiunt) è sordibus eruendum, et per spinarum densitatem rosa cautius decerpenda: nec magni laboris est:neminem fallunt: eminent namque, et veluti lumina quædam



è te-

è tenebris clarius lucent, et ipsa raritate cō-mendantur. Splendescunt post Eunum ligu-ritorem, & Zoilum semiuirū paschales versus Ausonij: & post Centonem pia vota matutinæ precationis. Vtinam nobilissimum ingenium, & perpetuum stylum ad hæc tantum conuertisset: sed nescio quo prauo errore, et impio non minus, quàm peruerso iudicio vsu venit, vt quæ piæ ac religiose scribantur minus dignitatis & elegantiæ plerisque habere videantur. Atqui apud Græcos Orpheus & Homerus Gentiliū Deorum laudes eleganter scripsere. Apud Romanos Fastorum libri qui festos dies & sacra continent, elegantissimi habiti sunt: apud Hebræos (vt Hieronymi verbis vtar) quid psalterio canorius? quod in more nostri Flacci & Græci Pindari nunc iābo currit, nunc Alcaico personat: nūc Sapphico tumet: nunc semipede ingreditur. Quid Deuteronomij & Esaiæ cantico pulchrius? Quid Salomone grauius? Quid

 per-

perfectius Iob? quæ omnia hexametris & pentametris versibus (vt Iosephus & Origenes scribunt) apud suos composita decurrũt. Pudeat modo Christianos, quibus nec natura nec eruditio defuit, pauca habere huiusmodi, quæ aures vel mediocriter eruditas non offendant, & à sacrario religionis nostræ Musas tandiu procul exulare. Scripsit olim Iuuencus, Sedulius, Arator, Prudentius, & Fortunatus: scripsere & alij quædam cum laude, & religionis commendatione: sed obsoleuit id genus Camœnarum iampridem: & in tenebris iacet: nemo ferè exercet: nemo excitat: ecce florent nostra tempestate ingenia: vigent studia: quotusquisque tamen, est qui ad illustrandas sacras litteras stylum accommodet? & ea in re velit exerceri, quæ ad veram frugem & imortalitatem cum gloria perducat? Vix vnus, aut alter inuenitur, qui eo studio teneatur. maluntque vel futiles eclogas plerique scribere et pastoralibus nugis ob-

obstrepere, vel epigrammaton scommata iaculari, vel ad gratiam componi; ridere, adulari, vel aliorum amores, et propriam plerumque insaniam versibus testari, quàm sacram aliquam historiam canere, et veram cælestiũ rerum disciplinam illustrare. Vtinam mihi ingenium foret, et doctrina par desiderio; quandoquidem omne ocium quod vndique mihi daretur, in eo scribendi genere libentissime consumerem: cuius quidem rei amplissimum testimonium videri poterit, quòd successiuis et occupatis etiam temporibus quantum permiserunt res meæ domesticæ, et Principium negocia, quibus multos annos non minus assidue, et diligenter, quã fideliter seruiui, minimam quamque scribendi occasionem obseruaui. Id quod epistolis quæ opusculis meis præponentur, facile declarabo: & si carmina ipsa nimium quoque testentur non ex ocio et vacuo animo (vt oportebat) esse composita. in quibus nihil me torquet

magis

magis, quàm lima, cui nullum tempus congruum inuenio. Premuntur itaq; rudia apud me, quum neque elimandi, & excolendi cõmoditas vlla sit, neque inculta ausim dimittere. Excidit tamen iampridem in laudem Virginis Mariæ Parthenodia Elego stylo edita, & hecatonstichon Heroico. attamen ad ferulam redibunt. Exibit nihilominus propediem Poliuchus: sic carmen inscribitur quo Diuum Venantiũ Camertem, cuius sub numine & tutela iucundissima ac gratissima patria mea est, celebraui. Festinat ex eadem officina ἐγκώμιον Diui Sebastiani: & Sicelis, quæ Diuam Luciam virginem Siracusanam elegis complexa est, & breuis quædam conquestio de Christo crucifixo: quæ omnia in vnum corpus coalescent, & tempestiue in publicum egredientur. Nunc vero Triumphus Christi separatim properat in lucem. partum flagitãtibus amicis, abortiuum dabo. Vrget etenim me hinc multo-

rum flagitatio, hinc occupatio, quæ maturare non sinit. malo tamen acerbum fœtum eniti, quam nullum. Explorabit igitur vadum: si fidum inueniet, vt neque fluctibus inuidiæ obrui, neque obtrectationum scopulis allidi contingat, ducet in medium socios libellos: in quibus mirari oportet neminem, siquid desideretur. Quid enim ab homine occupatissimo, & qui studia litterarum iampridem posthabuerit, amplius expectant qui omnia ad trutinam reuocant? dedi quod potui: gratiã habeant si velint: si minus, æquo animo ferã dissimulantium ingratitudinẽ: si Musæ meæ non offendent, satis habeo: placere multis minimæ curæ est: displicere nõ gratũ. Quod si errorẽ existimabũt, & culpã, non potuisse ad vnguẽ omnia præstare, dent veniã quæso, & valeant. Non laudabunt: nihil inuiti cõferant: nil postulo: nil extorqueo: laudabũt alij, quos pij saltẽ animi & religiosæ mẽtis studiũ delectabit. Vale.

MA.

MACARIVS MVTIVS EQVES CAMERS.

LECTORI FELICITATEM.

QVVM Legatus Ariminum peterem, cœpi in itinere leuandi laboris gratiâ mecum varia cogitare: quumque ex alia re in aliam (vt fit) vaga mente transcurrerem, eo forte incidi, vt perspicerem, religionem Christianam vberrimam præstare materiam ad scribendum etiam poëtis: sed animos magis pronos in libidinem, quam ad diuinum cultũ erectos à rebus sacris abhorrere. Nam (vt cætera sileam) quæ carminibus posse illustrari summa cum dignitate, & elegantia commodissime videbantur, subijt me pulcherrima cogitatio admirandi poëmatis, si ingenium & doctrina par materiæ contigisset. Concepi etenim speciosissimum

Christi triumphum, in quo aditũ ad Inferos, malorum Dæmonum tumultum, & fugam, sanctorum Patrum lætitiam, sacra colloquia, ac reditum cum victoria narrarem: quæ spolia dux receperit: qui comites fuerint secuti, & qua Superum pompa, & alacritate ad Patrem remearit. Tollebat animum ea cogitatio ac sublimem rapiebat, & dulcedine quadam nouitatis pertentabat. Cœpi itaque ex tempore ingenium experiri, & carmen exorsus, triduum, quo Ariminũ perueni ex ephippijs cecini. Viderunt nonnulli, qui nostra ætate non habentur indocti (quum in patriã meam, vnde eram profectus redirem) nouum opusculum, & laudarunt. Placuit mihi quoque (ne mentiar) & tanquam nouum fœtum adamaui. mox refrigerato primo calore, quale esset apparuit. Altius igitur quiddam, & vberius meditatus sum. Animaduerti namque non vnum modo, verum etiam tres me posse edere Triumphos, & tribus libris suo quem-

quemque ordine explicare. Primus sic mihi digerebatur: vt spretas mortalium diuitias, ambitum, honores, plausum, regna, & id genus, aliasque caducæ huius & inanis vitæ illecebras propulsatas, calcataque vitia omnia, & absolutam de his victoriam contineret: quæ mihi ita facile visa sunt pijs inuentis posse construi, & ornari, vt ad varietatem, quæ plurimũ splendoris habet, & ornamenti, nihil deesse planè videretur. Secundus Inferum iter, fracta Erebi claustra, attonitos Dæmonas, sacras conciones, victi ducis catenas, opima victoris spolia, & mirificam tertiæ lucis gloriam, qua immortalis & omnipotens Triumphator à morte redijt, figuris poëticis non iniucunda serie complectebatur. Tertius triumphantem Christum in cœlum reducebat. Hic mihi comitum catalogus, superum pompa, & cælestis aulæ cultus (vt humana mens capere poterat) plurimum lucis ac decoris sublimium rerũ præ-

ſtantia & numero pollicebãtur. Hæc mihi propoſui (ſi vita ſupereſſet) & vberioris materiæ fiducia, & iuſti operis ſpe hactenus opuſculum preſſi. Verumtamen, quum ætas ingraueſcat, & homo bulla ſit, præcipue ſenex (vt Varro ait) & in dies minus ocij, minuſque virium & ſpei in reliquum vitæ, veritus, ne (ſi diutius editionem differam) his paucis, quos genui verſibus interire, & quos concepi non naſci contingat, hortantibus amicis, Triumphum (vt obiter ex equo cecineram) qualemcumque emittere decreui, vt alij, quibus plus ocij ingenii, ac doctrinæ ſit, admoniti, eam materiam non eſſe à poëtis alienam, prouinciam ſumerent, & fœtum, quem ego concepi, ipſi eniterentur. Præluſi igitur his, quos vtinam excitare, & exhortari oratione mea poſſem, vt ſacris litteris ornamenta poëtarũ adiungerent. Quid enim prohibet? quid retrahit? quæ difficultas? (vt Diuorum nomina taceam) cur ver-

ſus

ſus Chriſtum non capit? cur non æque ſonat hoc nomen vt pleraque Gentlium? Equidē videre non videor quid dulcius in ſe habeat, vel magis conſonum Anchiſes, Priamus, Æneas, vel litterarum natura, vel compoſitione, ſi elementorū ſonum & ſtructurā perpendimus. Quid habet dignius quæſo Tros, & Erichthonius, Aegeus,& Cecrops, quàm Chriſtus? Quid Aiax vel Teucer elegantius delicatis auribus affert? alii iudicent. An hoc tolerabile eſt, quod eleganter criſta verſibus inſeritur. Maro.

Tum galeā Meſſapi habilem criſtisq. decorā
Induit.

Et alibi.

——————— *armaque Lauſo*
Donat habere humeris,& vertice figere criſtas.

Papinius.

Albaque puniceas interſecat infula criſtas.

Silius.

——————— *quatit aura comantes*

 Caſ-



Caßidis auricomæ criſtas.

ea ſimilitudo nominum eſt, ea tum litterarũ tum ſyllabarum cognatio, vt ab eadem ferè origine vtrumque deduci videatur, ſi ſonum, quo mouentur ſequi velint: re tamen diuerſa ſunt admodum hæc, & longè diſtant. Quid quod idem Silius eodem penè nomine Chriſtam Tudertem his verſibus celebrat?

Flumineo Lybicam turbabat in aggere pubem
Chriſta nomen erat: bis terni iuncta ferebãt
Arma ſenem circa nati.

Et paulo inferius.

Tandem cũ toto cecidit grege, namẽ in Vmbro
Clarum Chriſta diu populo.

Alterum tamen probant, alterum reſpuunt. Cur hoc? an quia minus delectant ſacra, quã profana? Ego vero ita exiſtimo, vt quacumque ſede locetur, verſum cum dignitate impleat & terminet. excipient hæc quidam cũ riſu: certo ſcio: & contemnent. Faſtidit namque religioſa animus laſciuior, & quæ

ad

ad ſacra pertinent deſpicit: nugas probat: ſabulas laudat: libidine delectatur: quam ſi tollas, nihil relinquitur, quod faſtidium leuet. Faceſſant huiuſcemodi ingenia, & (vt libet) ſuo furore agitentur: quandoquidem ſine controuerſia reor fore, vt omnes, qui doctrinam aliquam cum probitate & religione coniunxerint, ſententiam meam probent. Quòd ſi elegantiſsimum & ſacratiſsimum nomen & omni honore ac reuerentia procul omni dubio digniſsimum à fonte Sororum (vt aiunt) auerſum exiſtimant, cur non Deũ vocant? cur non Tonantem? cur non rerum opificem, Patrem omnipotentem, & cæli terræque Regem appellant? Malunt profectò peruicacia quadam, mortali, ac nequiſsimo hominum Ioui hæc indere cognomenta, quàm ei, cuius propria ſunt & non alterius. Sed de nomine ſatis. At opera diuini opificij, numero, varietate, & ornatu admiratione quotidiana omnium ingenia ad ſcri-

bendum inuitant; & ad ſupremi laudem au-
ctoris & ſacra celebranda myſteria exhortan-
tur: rara tamen de his mētio eſt: quod poë-
ticam facultatem excedere fortaſſe arbitran-
tur. Negare non auſim, eam eſſe diuinarum
rerum vim, atque dignitatem, vt nullo ſtylo
aſſequi poſſimus: non tamen ita remotam
cenſeo, vt Camœnis inacceſſibilem rear.
Verumenimuero ſi maiora viribus iudican-
tur, relinquant (ſi libet) quæ difficiliora
ſunt: nec de Trinitate, aut Chriſti corpore
verba faciant: nec eiuſmodi velint ſcribere,
& ea attingere, quæ altiſſima eruditiſſimorū
ac ſanctiſsimorum hominum ingenia fatiga-
runt. Etſi ad hæc quoque Gentilitas (ſi quis
accuratius monumenta diſcutiat) ſeſe ere-
xit, ad quæ poëtæ aditum habuere: nec du-
bium ſit cuiquam, Gentiles imaginem & ſi-
mulacrum coluiſſe Trinitatis: quod ita eſſe
facile oſtendam, ſi vnūm prius explicem,
maiores olim, qui aliquo ingenio & doctrina
præ-

præstiterunt, Deorum multitudinem nihil aliud existimasse, quam diuersas vnius & solius Dei potestates. Prætereo quæ Theodosius in Saturnalibus ea de re copiose, & eleganter disseruit: qui non modo Deorum numerum, sed Dearum quoque ad vnum diuinitatis numen referri oportere apertissime demonstrat. Satis mihi sit vnum superi Iouis testimonium ex poëtica disciplina & elegantia excerptum: ita enim in Deorum concilio inducitur concionem exordiri.

Cælicolæ magni:

& suprema huius sentētiæ maiestate subiecit:

———————quos nostra potestas
Imperijs diuisa facit.

qua planè testatus est, Deos omnes à se pēdere, & particulas esse potestatis suæ, vnumque esse omnium numen, & solum; diffusum tamen, ac late patens diuersa nomina sortiri. His itaque constitutis, per se patet, facilius esse tres ad vnum reduci quam mul-

tos

tos: tres autem Gentiles præcipue coluisse nulli obscurum est: Iouem Neptunum, & Plutonem Saturni & Rheæ filios, quibus vulgatum est, cœlum, maria & inferna regna paruisse, & cum his omnia. Ioui fulmen trifidum, Neptuno tridentem, Plutoni tricipitem Cerberum tribuere: in quibus ternarij numeri est ratio seruata. Tres namque fratres, tria regna, tria attributa sunt, & hæc trifariam disposita. Triplicem etenim cuspidem fulmini, tres dentes fuscinæ, tria Cerbero capita dederunt. Quo tendit huius numeri tam diligens obseruatio? nẽpe vt vnus omnes & omnia idẽ habeantur & sint: quod ipsius diuinitatis communio (omnes namq; Dij habiti sunt) & idẽ omnibus nomen probabile reddit. Iouem enim, quem cœlo regnare putauerunt, supremum, Optumum, Maxumum vocauere: hinc trita apud antiquos oratores præfatio: Iuppiter Optume Maxume: sic enim ordiebantur. Neptunum

vero

vero ſecundum Iouem appellari Papinius his verbis oſtendit.

——————— *dextramque ſecundi,*
Quod ſupereſt, complexa Iouis.

Plutonem Stygium Iouem dici ſatis conſtat. Maro:

Sacra Ioui Stygio quæ rite incœpta paraui
Perficere eſt animus.

Iuppiter igitur cœli rex: Iuppiter maris arbiter: Iuppiter Inferum rector eſt. omnibus ergo his locis vnum regnare, & vnum eſſe Iouem non aliud præſefert, quàm eſſe Deum, ac tres quamuis diſtinctos vnum atque idem habere numen, & in vnam coire poteſtatē. Vides iam trium vnitatem, de qua loquebamur, apud Gentiles quoque oſtendi. Non ſenſerunt hæc, quiſpiam dicet: immo exploratiſsimum eſt, non aliter doctos viros eſſe arbitratos, quàm numerum Deorum ad vnum referri, & vnum eſſe. Non nouerunt Patrem, & Filium, nec Spiritus ſancti me-

mine-

minerunt: fateor: ſed tanta ſimilitudo poteſt maiorum exemplo, qui hæc tetigerunt, noſtræ ætatis poëtas ad ſcribendũ excitare. De corpore vero Chriſti ſalutifero Chriſtianorum viatico quæ dicuntur, & credimus admirationem habent ſupra modum: non tamen adeo aliena ſunt, vt nihil prorſus ſimile apud maiores inueniatur. Cur vltra fidem iudicant quidam panem carnem fieri, & vinũ ſanguinem? Atqui Xerxes infuſum patera merum in ſanguinem non ſemel, ſed iterum & tertio conuerſum vidit: Sed à poëtis hæc quærimus, de quibus agitur. Legimus itaque apud Maronem

——————— latices nigreſcere ſacros
Fuſaq; in obſcœnum ſe vertere vina cruorē.

An hoc ſomniauit eminentiſsimi ingenij ac doctrinæ vir? qui nihil vnquã carminibus inſeruit, niſi ex altiſsima quadam diſciplina, aut hiſtoria repetitum. Fuit profecto hoc magis apud nos celebrandum, quàm vinum,

non

non in obſcœnum ſe vertere cruorem, ſed in Chriſti ſanguinem vera piaq; religione edocemur. Panem vero tranſire in carnē adeo abſurdum eſt, quum in cibo quotidiano idē fieri continue ſentiamus. Legimus ad hæc quindecim libros tranſmutationum Ouidij meras fabulas ferè omnes; rem myſticam, veram, & religioſam commemorare ſuperſedimus, quòd apud alios minus celebris ſit: tanquam religionis noſtræ nihil ſit propriū, & peculiare: quum tamen apud Gentiles huiuſce quoque myſterij ſimilitudo nō deſit. Nam qui in Deos reciperentur, ad nectar, & ambroſiam immortalium potum & cibum inuitabantur. Conuenit profectò cum Chriſti verbis; qui ita nos ad immortalitatem inuitat. Qui manducat hunc panem viuit in æternum. Proponitur itaque nobis ſuauiſsimum & ſaluberrimum nectar Chriſti ſanguis, & ambroſia Chriſti caro: quam qui rite guſtauerunt, in æternam vitam ad feliciſsimam

bea-

beatorum immortalitatem transcribentur. Sed hæc tanquam nimis fortasse remota missa faciant: Christum autem verum Deum, & hominem apud homines natum & educatũ cur relinquunt? cur non laudant? si non ea parte qua diuinitas fulsit, saltem qua hominem induit, cur verisimilia immo verissima ac dictu facillima versibus non tradunt? Nõ ordiantur à conceptu, quoniam in eo diuinitatis opera fuit præcipua. impossibile enim putant qui leges naturæ sequuntur, feminã, nisi marem admiserit, gignere posse. supra hominum naturam est: fatemur. Sed quid ita mirum est, Deum in se ipso voluisse aliquid excellentius operari? Atqui Martem ex Iunone sine viri officio natum esse prisci vates meminerunt: Christum ex virgine integra ortum nostri cecinisse durius putant: & Verbum à diuina mente summi Patris in Virginis vterum descendisse scribere non audent, quum illi Palladem ex cerebro Iouis

editam carminibus prædicent: adijciunt largoque fatos Curetas ab imbre: & Venerem è sanguine & spuma ortã maris, vnde Aphroditem vocant: & sexcentum ineptias. Pudet me hic inserere quæ de Orione fabulantur. Quid fœdius dici potuit, aut mirabilius, quã infantem sine patris aut matris opera ex vrina genitum? quod & nomen refert. Inuenit nihilominus ridiculũ facinus auctores poëtas, qui hoc decantarent: quamuis Hesiodus Neptuni filium ex Euryale Minois testaretur. O' cæcam temeritatem & insanam petulantiam. Narrabunt potius quidam Iouis incunabula, ac Rheæ astus, & Corybantũ æra, & occultos pueri vagitus referent, vel Bromium per fulmen editum immaturo partu paterno femori alligatum ad exactos menses peruenisse, & mille nugas, quàm Christi natalem aut educationem: in quibus exponendis Virginis partus, præuiæ stellæ aspectus, Magorum ab orientis solis finibus aduentus,

&

& viſitatio, & adorantium munera, quæ Infanti tribuerunt, fuga in Ægyptum & alia complura non ſterilem, aut iniucundam materiam præſtarent. Quid tempus tero? potius canerent Iliæ puerperium, aut Auges Nymphæ: & ſtellam, quam Æneas capta Troia viderat Idæa claram ſe condere ſilua. Educatum Romulum cum Remo fratre ferino lacte ſub Ruminali ficu, atque lupæ fuluo nutricis tegmine lætum clariſſima teſtantur monumenta. Chriſtum vero ad Reginæ cœli pectus intemeratum ceciniſſe, alienum arbitrantur plerique, facilius exiſtimantes, feram Romuli nutricem, quàm Chriſti matrem poſſe laudari. Clara eſt Achillis & Aſcanij pueri indoles, & aliorum de quibus olim vates ſcripſerunt: pueritiam Chriſti Muſæ noſtræ deſpiciunt. Nihil fortaſſe dignũ laude, aut memorabile id ætatis de ſe præſtitit. abſit facinus nefarium. quid dignius laude, aut memorabilius dici poteſt, quàm puerum

de

de lege cum Sacerdotibus eruditiſsimis in templo diſputaſſe? Minus hoc fidei habebit, quoniam præceptorē habuiſſe non legerint: legunt tamen & celebrant, in Parnaſſo neſcio quem ſomnio repente poëticam hauſiſſe. Chriſti diſciplinam, quòd doctoris ferulam non tulit, non recipient. Laborioſum eſſet omnia perſequi, & conferre quæ ad rē ſpectant, & paſsim inueniuntur. Tagum Silius in cruce deplorat: pendentem Chriſtū pro hominū ſalute noſtri diſſimulant. Scripſi ego breuem quandam conqueſtionē, quam inter alia hieroſticha mea edam. Scripſerunt illa Gentiles: nemo ibit inficias: cur noſtri ſimilitudine rerum ducti, Chriſti acta ſcribenda eſſe non cenſent? cur non veternum excutiunt? & ad hæc quæ diximus excitati, non conuertuntur? Sparſa fortaſſe exempla minus mouent. Deſcenſus ad Inferos nonne iugem, perpetuam, & ferè peculiarem poëtarum materiam habere videtur? habet equi-

& visitatio, & adorantium munera, quæ Infanti tribuerunt, fuga in Ægyptum & alia complura non sterilem, aut iniucundam materiam præstarent. Quid tempus tero? potius canerent Iliæ puerperium, aut Auges Nymphæ: & stellam, quam Æneas capta Troia viderat Idæa claram se condere silua. Educatum Romulum cum Remo fratre ferino lacte sub Ruminali ficu, atque lupæ fuluo nutricis tegmine lætum clarissima testantur monumenta. Christum vero ad Reginæ cœli pectus intemeratum cecinisse, alienum arbitrantur plerique, facilius existimantes, feram Romuli nutricem, quàm Christi matrem posse laudari. Clara est Achillis & Ascanij pueri indoles, & aliorum de quibus olim vates scripserunt: pueritiam Christi Musæ nostræ despiciunt. Nihil fortasse dignũ laude, aut memorabile id ætatis de se præstitit. absit facinus nefarium. quid dignius laude, aut memorabilius dici potest, quàm puerum

de

de lege cum Sacerdotibus eruditiſsimis in templo diſputaſſe? Minus hoc fidei habebit, quoniam præceptorē habuiſſe non legerint: legunt tamen & celebrant, in Parnaſſo neſcio quem ſomnio repente poëticam hauſiſſe. Christi diſciplinam, quòd doctoris ferulam non tulit, non recipient. Laborioſum eſſet omnia perſequi, & conferre quæ ad rē ſpectant, & paſsim inueniuntur. Tagum Silius in cruce deplorat: pendentem Christū pro hominū ſalute noſtri diſſimulant. Scripſi ego breuem quandam conqueſtionē, quam inter alia hieroſticha mea edam. Scripſerunt illa Gentiles: nemo ibit inficias: cur noſtri ſimilitudine rerum ducti, Chriſti acta ſcribenda eſſe non cenſent? cur non veternum excutiunt? & ad hæc quæ diximus excitati, non conuertuntur? Sparſa fortaſſe exempla minus mouent. Deſcenſus ad Inferos nonne iugem, perpetuam, & ferè peculiarem poëtarum materiam habere videtur? habet equi-

dem. Duxit Homerus carmine Vlyssem ad Inferos: Duxit Maro Æneam: descendit Hercules: descendit Orpheus: trita est hæc orbita poëtarum. Quid inde fabulantur esse relatum? ab Vlysse, & Aenea nihil præter vmbrarum colloquia: vxorē Eurydicen Orpheus non vendicauit: Hercules tricipitem Cerberum eduxit ad superos: si credere dignum, admittamus sanè. Quid ea de re beneficij est humano generi allatum? palluit sol: territus est orbis: aconitum in nostram perniciem è spuma Stygij canis ortum veneficijs accessit: At satius erat Tartareo barathro occulere, quàm ad terrorem hominum cœlo ostentare. Hæc priscis vatibus decantata sunt: Cur poëtæ Christiani Christi iter ad Inferos victoriam, & spolia illa sanctissima non canunt? Non belluam hic trifaucē eduxit, sed Patres illos amplissimos antiquæ legis ab vmbris Erebi liberauit. Hæc sunt opima triumphantis ducis spolia: hæc plena

est victoria, sine qua nihil Adam pœnitẽtia, & sudore vultus, nil victimis & innocentia Abel, nil obedientia Abraam, continentia Loth, Iob patientia, Dauid psalmis, & sanctitate Moses profecissent. Omnia denique opera, & labores cassi, irritique fuissent, nisi Christus de morte triumphasset. Quid enim miracula Eliæ, aut Helisei, aliorumque patrum admiranda facinora momenti habuissent, nisi Christus victor à longo carcere, & tetro vindicasset? Quid solis obedientia Iosue? somniorũ interpretatio Danieli? Machabeis fortitudo profuisset, nisi horum gesta Christus resurgendo confirmasset? Sed quò feror tandem? Quid pergo molestus esse? Quid plura ingratis auribus ingero eorum, qui sanam doctrinam non sustinent? Iam carmina ipsa testentur, an possit Christus versibus celebrari. Vale.

MACARIVS MVTIVS EQVES CAMERS.

DE TRIVMPHO CHRISTI.



Nfernos aditus, & fracti clau-
ſtra profundi
Aetheria pulſata manu, ſpolia-
taque cæci (phũ
Antra ducis canimus. Chriſti pia Muſa Triũ-
Incipe: ſiderei dicam ſpectacula regni.
Chriſtus vt immẽſa deſcẽdit luce ſubvmbras
Horrentes, mortiſq; domos, & regna ſilẽtũ,
Inuaſitq; Erebo clauſos trepidante receſſus;
Horruit immanis perculſi ianitor Orci:
Impulſæq; procul diſiecto cardine Ditis
Procubuere fores: timuit pallentis Auerni
Regia: nigrarumq; cohors turbata ſororum
Occuluit pauidis horrentia monſtra ceraſtis

Aduentante deo: tremuerũt sceptra reclusæ
Noctis & attoniti dextra cecidere tyranni
Protinus: atq; imas barathri petiere latebras
Confusumq; chaos, secretaq; tartara Manes.
Ille serenata per aperta silentia fronte
Ingressus, pigram nubem noctemq; fugabat
Ante oculos furui pulsa caligine mundi.
Sternebant sese, passimq; æquata iacebant
Obuia: tum nouies Stygijs circũflua campis
Cessit nigra palus Regi, lachrymasq; remisit,
Et tristes Cocytus aquas, cursumq; negauit.
Vt stetit in medio cœtu, castoq; piorum
Concilio, inferna quos olim sede repostos
Expectata salus sperando læta fouebat,
Ora diu Patribus sanctis optata resoluit
Talibus, & lentis vacuauit pectora curis.
Concio Christi Affulsit promissa dies: delapsus ab alto
Sũ Deus: humana tãdẽ sub imagine corpus
Mortalesq; vices subij: nam frigora & æstus
(Vt sors dura dabat) coniuncto numine sensi
Factus homo: sæuãq; tuli per vulnera mortẽ
Vitæ

Vitæ auctor: digitis etiam explorare licebit
Ingentem lateris plagam, manibusq; refixos,
Et pedibus clauos fossis: dum corpus aperto
Accipiam rursus tumulo: primusq; resurgam
Impatiens iterum leti: redimenda redempta
Morte mea vita est hominũ: sic mystica solui
Dicta Patres, varias olim complexa figuras
Nexibus ambiguis: quę consũmãda supersũt
Protinus absoluã, nũc vestra ergastula sunto
Libera: damnatis calcata superbia cristis
Submissa ceruice gemat: rebusq; secundis *vij. vitia capitalia*
Inuidia infelix aliorum sorte benigna
Præcipue vestra doleat, rabieq; cruentas
Ira premat fauces: ignaua per ocia vitam
Torpor iners damnet. nimiũq; insana cupido:
Congestiq; fames auri, turpisq; voluptas
Infandæ Veneris: vẽtris quoque laxa vorago
Aeternum cæcis tenebrarũ linquitur antris.
Vos alacres mecũ supera ad cõuexa triũphũ
Ducite felices animæ: super alta reducam
Sidera, stelliferosq; axes: vbi regna beatos

Nullo fine manēt: Patris dabo cernere vult⁹,
Quos refero, ætheria cōceſſa in luce quiete.
Hæc inter lætas animas immenſa pererrant
Gaudia: lætitiam radiantis gratia frontis
Spargebat: Stygijs Diuorum gloria regnis
Spectatur præſente Deo: gaudentq; tueri.
Atque ſilent: auidos tardat reuerētia plauſus
Orantis. Poſtquam diuina ſilentia fandi
Conceſſere vices: grato pia murmure turba
Cœpit, & innumeris audita eſt vocibus vna.
Reſpōſio Veniſti ò Superum celſa Regnator ab arce
In tenebras: noſtrumq; chaos viſurus adiſti
Squalētes ſine luce domos: & nigra ꝓfundi.
Regna ſoli: merſis Erebi ſub carcere tādem
Expectatus ades: nec ſpes fruſtratur: ouantis
Ora ducis ſpectare licet. Tu victor Auerni,
Humaniq; ſalus generis. tu noſtra relaxas
Vincula, & obſcura dānatas nocte latebras.
Te duce Tænareis fugim⁹ loca tetra cauernis
Horrēdaſq; vmbras, abſtruſaq; linqmus ātra.
O pietas: vnde hoc potuit mortale mereri

Aut

Aut ſperare gen⁹? Regẽ deſcẽdere ab aſtris,
Induat vt ſerui formam, pœnaſq; nocentum
Ipſe luat, vitamq; reis vt ſponte rependat
Morte ſua: quid enim ſolio traxiſſet ab alto?
Immortalis eras: mortalia fata ſubire
Suaſit amor: flexit pietas: clemẽtia culpam
Diluit, vt ſuperas tecum redeamus in oras.
Duc age(te ſequimur:tibi fas: te gloria ſolũ
Tanta manet) iuſtũ ſuperata morte triũphũ.
Talibus intentis croceo Tithonia peplo
Aurea ſurgebat: roſei lux tertia mundi
Lutea puniceis ſparſit confinia flammis.
Extemplo ſublimis abit, circaq; frequentes
Obſeſsã tenebris ſedẽ,noctemq; relinquunt
Inſignes animæ, proceres,vulguſq; beatum,
Et notas repetunt auras, terraſq; reuiſunt.
Hic poſtquã manifeſta fides dubitãtia ſoluit
Corda metu, charęq; ſimulGenitricis amorẽ
Impleuit, monuitq; ſuos, mũdoq; reſurgens
Certa triumphato patefecit numina letho,
Ad patrẽ Superũq; choros remeauit in aſtra.

Gra-

beatorum immortalitatem transcribentur. Sed hæc tanquam nimis fortasse remota missa faciant: Christum autem verum Deum, & hominem apud homines natum & educatũ cur relinquunt? cur non laudant? si non ea parte qua diuinitas fulsit, saltem qua hominem induit, cur verisimilia immo verissima ac dictu facillima versibus non tradunt? Nõ ordiantur à conceptu, quoniam in eo diuinitatis opera fuit præcipua. impossibile enim putant qui leges naturæ sequuntur, feminã, nisi marem admiserit, gignere posse. supra hominum naturam est: fatemur. Sed quid ita mirum est, Deum in se ipso voluisse aliquid excellentius operari? Atqui Martem ex Iunone sine viri officio natum esse prisci vates meminerunt: Christum ex virgine integra ortum nostri cecinisse durius putant: & Verbum à diuina mente summi Patris in Virginis vterum descendisse scribere non audent, quum illi Palladem ex cerebro Iouis

editam

editam carminibus prædicent: adijciunt largoque fatos Curetas ab imbre: & Venerem è sanguine & spuma ortã maris; vnde Aphroditem vocant: & sexcentum ineptias. Pudet me hic inserere quæ de Orione fabulantur. Quid fœdius dici potuit, aut mirabilius, quã infantem sine patris aut matris opera ex vrina genitum? quod & nomen refert. Inuenit nihilominus ridiculũ facinus auctores poëtas, qui hoc decantarent: quamuis Hesiodus Neptuni filium ex Euryale Minois testaretur. O cæcam temeritatem & insanam petulantiam. Narrabunt potius quidam Iouis incunabula, ac Rheæ astus, & Corybantũ æra, & occultos pueri vagitus referent, vel Bromium per fulmen editum immaturo partu paterno femori alligatum ad exactos menses peruenisse, & mille nugas, quàm Christi natalem aut educationem: in quibus exponendis Virginis partus, præuiæ stellæ aspectus, Magorum ab orientis solis finibus aduentus,

& visitatio, & adorantium munera, quæ Infanti tribuerunt, fuga in Ægyptum & alia complura non sterilem, aut iniucundam materiam præstarent. Quid tempus tero? potius canerent Iliæ puerperium, aut Auges Nymphæ: & stellam, quam Æneas capta Troia viderat Idæa claram se condere silua. Educatum Romulum cum Remo fratre ferino lacte sub Ruminali ficu, atque lupæ fuluo nutricis tegmine lætum clarissima testantur monumenta. Christum vero ad Reginæ cœli pectus intemeratum cecinisse, alienum arbitrantur plerique, facilius existimantes, feram Romuli nutricem, quàm Christi matrem posse laudari. Clara est Achillis & Ascanij pueri indoles, & aliorum de quibus olim vates scripserunt: pueritiam Christi Musæ nostræ despiciunt. Nihil fortasse dignũ laude, aut memorabile id ætatis de se præstitit. absit facinus nefarium. quid dignius laude, aut memorabilius dici potest, quàm puerum

de

de lege cum Sacerdotibus eruditiſsimis in templo diſputaſſe? Minus hoc fidei habebit, quoniam præceptorē habuiſſe non legerint: legunt tamen & celebrant, in Parnaſſo neſcio quem ſomnio repente poëticam hauſiſſe. Chriſti diſciplinam, quòd doctoris ferulam non tulit, non recipient. Laborioſum eſſet omnia perſequi, & conferre quæ ad rē ſpectant, & paſsim inueniuntur. Tagum Silius in cruce deplorat: pendentem Chriſtū pro hominū ſalute noſtri diſſimulant. Scripſi ego breuem quandam conqueſtionē, quam inter alia hieroſticha mea edam. Scripſerunt illa Gentiles: nemo ibit inficias: cur noſtri ſimilitudine rerum ducti, Chriſti acta ſcribenda eſſe non cenſent? cur non veternum excutiunt? & ad hæc quæ diximus excitati, non conuertuntur? Sparſa fortaſſe exempla minus mouent. Deſcenſus ad Inferos nonne iugem, perpetuam, & ferè peculiarem poëtarum materiam habere videtur? habet equi-

dem. Duxit Homerus carmine Vlyssem ad Inferos: Duxit Maro Æneam: descendit Hercules: descendit Orpheus: trita est hæc orbita poëtarum. Quid inde fabulantur esse relatum? ab Vlysse, & Aenea nihil præter vmbrarum colloquia: vxorē Eurydicen Orpheus non vendicauit: Hercules tricipitem Cerberum eduxit ad superos: si credere dignum, admittamus sanè. Quid ea de re beneficij est humano generi allatum? palluit sol: territus est orbis: aconitum in nostram perniciem è spuma Stygij canis ortum veneficijs accessit: At satius erat Tartareo barathro occulere, quàm ad terrorem hominum cœlo ostentare. Hæc priscis vatibus decantata sunt: Cur poëtæ Christiani Christi iter ad Inferos victoriam, & spolia illa sanctissima non canunt? Non belluam hic trifaucē eduxit, sed Patres illos amplissimos antiquæ legis ab vmbris Erebi liberauit. Hæc sunt opima triumphantis ducis spolia: hæc plena

est

eſt victoria, ſine qua nihil Adam pœnitẽtia, & ſudore vultus, nil victimis & innocentia Abel, nil obedientia Abraam, continentia Loth, Iob patientia, Dauid pſalmis, & ſanctitate Moſes profeciſſent. Omnia denique opera, & labores caſſi, irritique fuiſſent, niſi Chriſtus de morte triumphaſſet. Quid enim miracula Eliæ, aut Heliſei, aliorumque patrum admiranda facinora momenti habuiſſent, niſi Chriſtus victor à longo carcere, & tetro vindicaſſet? Quid ſolis obedientia Ioſue? ſomniorũ interpretatio Danieli? Machabeis fortitudo profuiſſet, niſi horum geſta Chriſtus reſurgendo confirmaſſet? **Sed quò feror tandem? Quid pergo moleſtus eſſe?** Quid plura ingratis auribus ingero eorum, qui ſanam doctrinam non ſuſtinent? Iam carmina ipſa teſtentur, an poſsit Chriſtus verſibus celebrari. **Vale.**

MACARIVS MVTIVS
EQVES CAMERS.

DE TRIVMPHO CHRISTI.



INfernos aditus, & fracti claustra profundi
Aetheria pulsata manu, spoliataque cæci
Antra ducis canimus. Christi pia Musa Triũ-(phũ
Incipe: siderei dicam spectacula regni.
Christus vt immẽsa descẽdit luce sub vmbras
Horrentes, mortisq; domos, & regna silentũ,
Inuasitq; Erebo clausos trepidante recessus;
Horruit immanis perculsi ianitor Orci:
Impulsæq; procul disiecto cardine Ditis
Procubuere fores: timuit pallentis Auerni
Regia: nigrarumq; cohors turbata sororum
Occuluit pauidis horrentia monstra cerastis

Aduentante deo: tremuerũt ſceptra recluſæ
Noctis & attoniti dextra cecidere tyranni
Protinus: atq; imas barathri petiere latebras
Confuſumq; chaos, ſecretaq; tartara Manes.
Ille ſerenata per aperta ſilentia fronte
Ingreſſus, pigram nubem noctemq; fugabat
Ante oculos furui pulſa caligine mundi.
Sternebant ſeſe, paſſimq; æquata iacebant
Obuia: tum nouies Stygijs circũflua campis
Ceſſit nigra palus Regi, lachrymaſq; remiſit,
Et triſtes Cocytus aquas, curſumq; negauit.
Vt ſtetit in medio cœtu, caſtoq; piorum
Concilio, inferna quos olim ſede repoſtos
Expectata ſalus ſperando læta fouebat,
Ora diu Patribus ſanctis optata reſoluit
Talibus, & lentis vacuauit pectora curis.
Concio Chriſti Affulſit promiſſa dies: delapſus ab alto
Sũ Deus: humana tãdẽ ſub imagine corpus
Mortaleſq; vices ſubij: nam frigora & æſtus
(Vt ſors dura dabat) coniuncto numine ſenſi
Factus homo: ſæuãq; tuli per vulnera mortẽ

Vitæ

Vitæ auctor: digitis etiam explorare licebit
Ingentem lateris plagam, manibusq; refixos,
Et pedibus clauos fossis: dum corpus aperto
Accipiam rursus tumulo: primusq; resurgam
Impatiens iterum leti: redimenda redempta
Morte mea vita est hominũ: sic mystica solui
Dicta Patres, varias olim complexa figuras
Nexibus ambiguis: quę consũmãda supersũt
Protinus absoluã, nũc vestra ergastula sunto
Libera: damnatis calcata superbia cristis
Submissa ceruice gemat: rebusq; secundis — *vitia capitalia*
Inuidia infelix aliorum sorte benigna
Præcipue vestra doleat, rabieq; cruentas
Ira premat fauces: ignaua per ocia vitam
Torpor iners damnet. nimiũq; insana cupido:
Congestiq; fames auri, turpisq; voluptas
Infandæ Veneris: vẽtris quoque laxa vorago
Aeternum cæcis tenebrarũ linquitur antris.
Vos alacres mecũ supera ad cõuexa triũphũ
Ducite felices animæ: super alta reducam
Sidera, stelliferosq; axes: vbi regna beatos

Nullo fine manēt: Patris dabo cernere vult⁹,
Quos refero, ætheria cōcessa in luce quiete.
Hæc inter lætas animas immensa pererrant
Gaudia: lætitiam radiantis gratia frontis
Spargebat: Stygijs Diuorum gloria regnis
Spectatur præsente Deo: gaudentq; tueri.
Atque silent: auidos tardat reuerētia plausus
Orantis. Postquam diuina silentia fandi
Concessere vices: grato pia murmure turba
Cœpit, & innumeris audita est vocibus vna.
Respõsio Venisti ò Superum celsa Regnator ab arce
In tenebras: nostrumq; chaos visurus adisti
Squalētes sine luce domos: & nigra ꝓfundi.
Regna soli: mersis Erebi sub carcere tādem
Expectatus ades: nec spes frustratur: ouantis
Ora ducis spectare licet. Tu victor Auerni,
Humaniq; salus generis. tu nostra relaxas
Vincula, & obscura dānatas nocte latebras.
Te duce Tænareis fugim⁹ loca tetra cauernis
Horrēdasq; vmbras, abstrusaq; linqmus ātra.
O pietas: vnde hoc potuit mortale mereri
Aut

Aut ſperare gen⁹? Regē deſcēdere ab aſtris,
Induat vt ſerui formam, pœnaſq; nocentum
Ipſe luat, vitamq; reis vt ſponte rependat
Morte ſua: quid enim ſolio traxiſſet ab alto?
Immortalis eras: mortalia fata ſubire
Suaſit amor: flexit pietas: clemētia culpam
Diluit, vt ſuperas tecum redeamus in oras.
Duc age(te ſequimur:tibi fas: te gloria ſolū
Tanta manet) iuſtū ſuperata morte triūphū.
Talibus intentis croceo Tithonia peplo
Aurea ſurgebat: roſei lux tertia mundi
Lutea puniceis ſparſit confinia flammis.
Extemplo ſublimis abit, circaq; frequentes
Obſeſsā tenebris ſedē,noctemq; relinquunt
Inſignes animæ, proceres, vulguſq; beatum,
Et notas repetunt auras, terraſq; reuiſunt.
Hic poſtquā manifeſta fides dubitātia ſoluit
Corda metu, charęq; ſimul Genitricis amorē
Impleuit, monuitq; ſuos, mūdoq; reſurgens
Certa triumphato patefecit numina letho,
Ad patrē Superūq; choros remeauit in aſtra.

Gratior haud vnquam cœlo, nec lætior alto
Vlla dies orta eſt: tanta nec luce sereni
Arriſere poli; nitido nec purior orbe
Flammiferos Titan radianti gurgite currus
Extulit, & claro ſpectauit ab æthere terras.
Quò rapit inualidas præceps audacia vires?
Quo ſummi ſecreta Dei ſpectacula cantu
Ordiar? & Diuum cœleſtes ordine pompas
Exequar? aut tãtos capiã qua mẽte paratus?
Tu quæcũque voles alti monumenta triũphi,
Qui nigris remeans duxiſti victor ab vmbris
Pãde mihi: quantũ ipſe dabis mihi dicere fas
Scãdebat niuea ſuſpenſus nube serenũ (eſt.
Aëra libratis cœli per inania plantis
Chriſtus, & ætherij repetens faſtigia regni,
Sidereum relegebat iter, dextraq; ſalutis
Signa ferẽs, ſanctas ducebat in ardua turmas
Expectante polo: fulgebant vertice ſacro
Regis adorati vultus: vnde omnia circum
Splendebãt radijs: oculos quocũque ferebat
Spectatus grata ridebat lampade mundus.

Ponè

Ponè sequebantur comites examine longo *Catal.*
Sublimes animæ: primo commissa parenti *Adam*
Prima phalãx, priscũq; genꝰ, cui clara ꝑpago
Hærebat pastor primus, qui munera grato *Abel*
Sacra Deo, primos lætis à matribus agnos
Obtulit: & primus crudelia vulnera sensit,
Germaniq; manus, violentaq; funera cædis,
Inuidia suadente nefas. prope frater ademit *Seth*
Qui luctum: mortisq; tulit solatia mœsto
Patre satus: prolesq; æuo documẽta sequẽti *Filij*
Quæ scripsit geminis cœlũ scrutata colũnis. *Seth*
Et gẽs prisca simul septẽ quæ in sæcula vixit
Casta Dei soboles superis intenta, nec vllas
Illa hominũ cupijt natas, aurã ve secuta est.
Hinc qui diluuio terris vndante capaci
Puppe nouos circũ fluctus despexit, & æquor *Noe*
Insolitum, viduo seruans animalia mundo.
Et pater, & structa sedit qui filius ara *Abraã*
Mactandus, gladiũ spectãs, dextrãq; parentis, *Isaac*
Iussa parat dũ sacra senex: patriamq; nefando
Crimine damnatã, diuinaq; sulfura, & ignes, *Loth*

Ar-

Ardentesq; videre domos, pollutaq; tecta
Qui spreuit: retro flexit quæ lumina coniux
In statuam mutata salis: tum victus amore
Iacob Inuicto iuuenis bis septem qui tulit annos
Seruitiũ, primas flãmas pactosq; hymenæos
Ioseph Suspirans: iuxta natus, cui læta iacenti
Visa iubar placido summittere sidera somno,
Fraternosq; suo stratos sub mergite culmos
Vidit adorantes: magni præsagia fati.
Et fratrũ fœcũda cohors, numerosaq. pubes:
Et clarus patrui sanguis, cui fusa per orbem
Iob Immensum latis resonat patientia terris.
Lecta manus patrũ: quos inter maximus alti
Præcipuo splẽdore micans dux agminis ibat,
Moses Accepit rutilo fumantis vertice montis
Aeterni qui iussa Dei: magnusq; sacerdos
Aaron Inscriptas humero gẽmas, tunicãq; hyacĩtho
Intextam roseo, quã circum mala rubebant
Punica, qui primus radiantibus induit oris
Conspicuo fulgens ostro, byssoq; decorus
Dum litat, & flauo limbus circumsonat auro.

Mon-

Monſtratiq; hæres ſacri, cultuſq; paterni : *Helea-zar*
Et volucres Phœbi potuit qui ſiſtere currus, *Ioſue*
Produxitq; diem victor. quique ora Gigãtis
Accinctus funda fregit, citharaq; canoros *Dauid*
Arguta cecinit modulato carmine pſalmos.
Et qui diuiſas ſicco pede tranſijt vndas
Fluminis, hoſpitio gratus dum præmia natum *Heli-ſeus*
Dat ſterili, & functum vita dũ ſuſcitat orbæ.
Quẽq; vtero exceptũ cetus vectare per ũdas
Aequoreas valuit, tutumq; ex ponere terris. *Ionas*
Atq; oculis captus tenebris quẽ ſparſit hirũ-
Nec prius aſpexit luſtrari lãpade cœlũ, (do *Tobias*
Oblita quã natus ſeruato lumina piſcis (nos
Felle, ducis monitu, abſterſit. tũ flebile Thre-
Qui ſcripſit q̃rulos numeris : quiq; ora leonũ *Hierẽ.*
Sæua lacu medio ſecurus mulſit & vngues : *Daniel*
Et qui mulcenti portauit prandia raptus *Aba-cuc*
Vertice per vacuũ: ſimul & fornace profunda
Impia qui tumidi riſere incendia regis. *Tres puer.*
Quiq; memor leges Chaldæis ignibus vſtas *Eſdras*
Reddidit: & ſeptẽ fortiſſima pectora fratres,

Qui

Macabei Qui ligua & manibus scelerato vulnere cęsis
Subiectas passi flammas, sartagine clausi.
Mille alijs clari gestis:aciesq; subibant (sim
Quæq; suũ comitata ducẽ:mille agmina pas-
Cernere erat, variosq; globos: quos alt⁹ ho-
Pater virginis Præstabat,Regũ natã q̃ sãguine prisco (norẽ
Reginam cœlo genuit matremq; Tonanti.
Io.Bap. Et modo Iordanis dominũ qui lauerat vndis,
Latro Quiq; crucẽ merito passus dextraq;pepẽdit,
Tantũ extrema fides,summiq; modestia voti
Præstitit: assertis surgebat in æthera diuis,
Ordine quisq; suo:quos ingẽs turba volucrũ
Innocentes Infantum dulces animæ nunc ore decoro
Et risu ambibant: nunc oblectamine vocum
Certantes blandis implebãt cantibus aures.
Hi sũt quos Veneris nõ attigit vlla voluptas;
Nec macula infecit teneros:nã vulnere acer
Insontes primo liquerunt limine vitã. (bo
Tũc hilaris cęlũ scãdẽs manus astra subibat
Cãdida supremi decus & pars magna trium-
Nec pia femineo cessabat gloria sexu: (phi.
Prima

Prima parens alias acies : ac signa regebat ; *Eua*
Atque alios amissa choros in regna vocabat
Morte recepta ducis: matrũ spectabilis ordõ
Hanc natæ castæq; nurus neptesq; secutæ ;
Quæq; diu sterilis fœcundam sponte mariti
Connubio famulã iunxit : sobolẽq; benigno *Sara*
Illius amplexu fouit : sua gaudia partus
Attulit : & nato arrisit despecta senectus .
Et quæ sopiti lectum subiere parentis , *Filiæ*
Et fratres peperere sibi , ne stirpe carerent . *Loth*
Hic amor in Venerẽ duxit, nõ fœda voluptas,
Humanũ reparare genus , solumq; putantes
Orbe patrem toto mundi superesse fauillis .
Tum mater gemini sensit quæ prælia fœtus *Rebe-*
Dũ properat, nasciq; prior dũ pugnat vterq; *ca*
Hic manib⁹ retrahitq; pedes, hic calce repel-
Et quę cõiugiũ furtim thalamosq; sororis (lit. *Lia*
Præripuit, septemq; alios deduxit in annos ; *Rachel*
Vtraq; chara Deo : communis ferre mariti
Alternas cõtenta vices, tantũ æmula partus.
Quęq; sub vmbroso respõdit tegmine palmę, *Delbo-*
Et *ra*

Et Solymos octo rexit iustissima lustris
Consilio,& longã peperit post bella quietẽ.
Susanna Et quæ iudicium saluo intemerata pudore
Pertulit, & falso conuicit crimine testes.
Iudith Assyrijs & quæ voluit se credere castris,
Æternum meditata decus: cæsiq; cruore
Aspersit viduas animoso vulnere palmas
Hostis, & obsessæ victrix caput intulit vrbi.
Hester Huic regina comes, patruũ formosa gemẽtẽ
Et populum tutata suum: sine nomine circũ
Turba frequens læta Diuas cõplexa corona.
At geminæ claras inter duo lumina matres
Tendebãt gressus liquida regione volucres,
Anna mater Virg. Altera quæ dominam cœli terręq; potentem
Ediderat; felix sero tamen altera fœtu,
Elisabeth Qui Regis præcursor iter monstrauit, & illo
Femineo maior partu non attigit auras.
Innumeræq; aliæ, castis quæ milibus ibant
Admixtæ, & vario concordes ore canebant.
Quis turbam variosq; duces, populiq; beati
Signa canat, dẽsasq; acies quisue iclyta dicet
No-

Nomina siderei scandentis sũma Triumphi ?
Scindebant puras auras, puroq; volabant
Orbe viri: matresq; simul, castæq; puellæ,
Annosiq; senes, pueriquе, & læta iuuentus,
Præcipue vates experti vera, fidemq;
Dictorũ pulchro subeuntes agmine pompæ Pro-
Sacra manus dilecta Deo, quæ numine vero phetæ
Afflata, & sancti stimulis agitata caloris
Euentus rerum, cœliq; arcana reclusit.
Vna omnes dulci mulcentes sidera cantu
Ætherias arces, promissaq; regna petebant.
Interea læto Diuorum ianua cœlo
Ardua laxabat supremi tecta parentis, (tes.
Cœlicolũq; domos placidas, clarosq; pena-
Aurea perpetuis Superum laquearia flãmis
Ardebant, sacriq; tholi, sedesq; Tonantis,
Stellatæq; fores accensa per atria lucem
Spargebant, nitidis ignẽ miscentibus astris.
Regia sublimi pompa, luxuq; beato
Obuia prodibat, cœliq; exercitus omnis.
Summa Potestates ducebant agmina, & altæ

Virtutes, celsiq; Throni: tum classica sancto
Ore procul clangore pio pia signa canebant
Victoris Vexilla Dei, lectasq; cohortes
In Superum cœtus longo testantia cantu.
At circum propiore sono recinente citatis
Ad citharam leuibus digitis, plectroq; volãti
Innumera certante lyra discrimina mille,
Mille fides ictis vario modulamine chordis,
Et totidem surgens ad sacras barbitus odas
Edebat: duplicesq; manus agitantia naula,
Cymbalaq;, & pulsis resõabat bractea palmis,
Tinnitus tremula crispãs ad carmina dextra.
Nec minus obliquas iungebat cõsona voces
Plurima compactis respondens tibia cannis,
Et sistra, & grato crepitantia tympana bõbo,
Sãbucæ, & molles numeri quos tẽperat vnda
Hydraulis, cęleste melos referente monaulo,
Diuinos iunxere modos rhythmosq; sonãtes
Acta Dei. Tales modulans symphonia cãtus
Læta triũphãtes reuocabat in æthera Diuos.
Vt valuas tetigere poli, exultantia claustra
In-

Intrantem ſenſere Ducẽ: micuere benignis
Ignibus, & dulci tonitrus crepuere ſereno.
Accepit lux alma pios, fouitq; beati
Aura loci: incedunt pariter, ſpeciẽq; tuentur
Æterni, ſummiq; boni: domus alta nitebat
Diuino fulgore, acies dum templa ſubirent
Celſa poli, mediaſq; vias ſuper aſtra tenerẽt.
Ventũ erat ad cœli ſoliũ, mundiq; tribunal,
Quo ſumma æterni fulgebant ora parentis.
Tum vero auditæ voces, & carmina ſacris
Dicta choris: laudes, & fortia geſta triumphi
Tollebat gauiſa manus, grateſq; canebat
Ante pedes affuſa ducis, vultuq; ſereno
Intentos oculos menteſq; æterna voluptas
Paſcebat: geminata pio tum gaudia plauſu
Lætitiaq; ſuis explebant pectora votis.
IpſeTriumphator magno cum Patre ſedebat
Sublimis: dextrã ſedem ſceptrumq; tenebat
Maieſtate pari, vnde æqua ditione gubernat
Omnia, ſola, eadẽq; tribus ſociata poteſtas.
Quę facies, quęue ora Dei: qs cult⁹ Olympo,

Quo ve PaterNatū vultu,amplexuq; recepit
Dicere mortali vetitum : nec ſcire volenti
Plura datur, ſuperantq; meas cæleſtia vires.
Sed cū ſūma dies aderit : cū noſtra redibunt
Corpora poſt obitus, vbi flāmavindice mūd⁹.
Arſerit, ætherios vultus, habituſq; licebit
Cernere,quum denſa iudex in valle ſedebit
Æternus, iuſta decernens vltima lance.
O vtinam dextra liceat ſediſſe Tonantis
Electos inter cuneos, ædeſq; beatas
Scādere, & extremo ſaltē remeare triūpho.

FINIS.



Duo Epigrammata eiuſdem Auctoris nondum impreſſa.

Alloquitur Poëta Deam Paganaliam Præſidem Fontis Oppidi Paganico proximi, eamq; interrogat de eius nominis etymologia.

VNde tibi nomen Paganalia? dic age. Dicã:
  Fonte bibis Solis. Litera ſola vacat.
Quid ceſſas? vires ſumo. Quid murmura lymphis
  Præcedunt? ægras admonet vnda manus.
Feſſa es? ſum. Curſu? non. Quo? Natura fatigat
  Inuidã, cum modicas parca miniſtrat aquas.
Inuidet alma parens? Quidni? pretioſa recondit
  Omnia, nec faciles pandit auara ſinus.
Velles perpetuos curſus Dea voluere? Vellem,
  Atque vtinam totam ſe daret vrna Duci.
Vnde tibi votum eſt, & amor? fulgentia lauro
  Tempora certatim Mars, & Apollo tegit.
O valeat. Quot Nympha dies tua pocula ſumet,
  Vt valeat? ſumet quot bibet Aonidum.

Aliud

Aliud Argumentum.

NOn ſatis eſt lautè tecum diſcumbere menſa
Diuite, nec varias ſumere Iane dapes:
Larga coronato nec pocula grata Lyæo,
Nec quicquid Regum ponere cœna poteſt;
Sollicitant ſi me proles, Vxorq; relicta,
Hæc deſiderio coniugis, illa patris.
Sexto quoque mihi mutantur limina menſe,
Fataq; Perſephones, Tyndaridumq; fero.
Si tibi cura mei eſt, & amas mea commoda, ſedem
Da ſtabilem, atque Iri tunc mihi cœna ſatis.



MA-

MACARIVS MVTIVS EQVES CAMERS.

LECTORI FELICITATEM.

PErlegisti facile (ni fallor) libellum meum: in quo, si elegantia, & varietas, quam desiderasti, lectionis fastidium non sustulit, leuauit breuitas. Æquum te præbeas oro. Si epistolis meis scriptorum quorundam lasciuiam, negligentiam, leuitatem non probo, non crimen est, sed desiderium. vtilem enim, & honestam operam, quam præstare poterant, expetiui. Absit praua interpretatio, vt in nomen cuiusquam inuectum existimes, eorum præsertim, qui viuunt. Porro si errata inueneris, non inuenies pertinacem. admoneas quæso. Non ægre feram discere, & emendare, & imprimis Christianæ cedere veritati. Vale.

Errata.

Pag. 2.	*Verſ.* 6.	ſugit.	fugit
5.	14.	alijs:	alijs
6.	2.	Geturicus.	Getulicus
50.	10.	naula	naulia.

